

vere et realiter mitti, uti in novo testamento, intra ipsam missionis rationem includitur realis relatio, *qui ab alio*; et cum eiusmodi realis relatio in divinis non realiter distinguatur ab ipsa relatione originis, necessario sequitur divinam personam non mitti nisi ab eo (iis) a quo (quibus) procedat. Ubi autem sensus est quemlibet effectum finitum ad extra produci, missio late intelligitur pro productione, et re vera tres divinae personae pariter hunc effectum producunt, quamvis de una sola vel de duabus per appropriationem praedicetur.

Notate autem in sequentibus, nisi aliud constat, semper intelligenda est vox, missio, in sensu tecnico secundum illud, Io., 20, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».

## QUAESTIO XXV

## UTRUM PER APPROPRIATIONEM PATER ET FILIUS SPIRITUM SANCTUM MITTERE DICANTUR.

Respondeo tripliciter intelligi potest hoc quod mittitur Spiritus sanctus: primo modo, ut producat effectus finitus spiritualis in creatura; alio modo, ut ipsa divina persona tertia veniat in creaturam; tertio modo, ut ipsa divina persona tertia ab aliis duabus vere et realiter mittatur.

Si primo modo accipitur, haberi non potest nisi appropriatio; nam omnia divina opera ad extra sunt communia.

Si altero modo accipitur, non constat nisi de appropriatione, nam « venire » de se non importat relationem originis et, ubi non obstat relationis oppositio, omnia sunt communia.

Si tertio modo accipitur, non potest esse appropriatio. Si enim vere et realiter ab aliis mittitur ipse Spiritus sanctus, habetur in ipso Spiritu sancto vera et realis relatio secundum quam ad mittentes ordinatur ut a quibus. Quae realis relatio ipsius Spiritus sancti non potest esse nisi spiratio passiva quae Spiritui sancto omnino propria est.

Porro, haec tertia acceptio magis secundum doctrinam novi testamenti esse videtur, uti supra habitum est.

## ASSERTUM XVII

DIVINAE PERSONAE MISSIO ITA PER DIVINAM RELATIONEM ORIGINIS CONSTITUITUR UT TAMEN PER MODUM CONDITIONIS CONSEQUENTIS CONVENIENTEM AD EXTRA TERMINUM EXIGAT.

*Asserti intentio.*

Cum ex antecessis constet Filium a Patre et Spiritum sanctum a Patre Filioque mitti, iam de constitutione ontologica missionis quaeritur.

Quid per constitutionem ontologicam intendatur, tum rem fusius alibi exposuerimus<sup>10</sup>, hic notionem exemplo illustrare sufficit. Supponamus verum esse 'Petrum esse hunc hominem sapientem'. Tunc quaerere de constitutione ontologica huius veri nihil aliud est quam quaerere, quid a parte rei requiratur et sufficiat, ut verum sit Petrum esse hunc hominem sapientem. Iam vero requiruntur et sufficiunt 1) actus essendi, ut verum sit Petrum esse, 2) materia individuans, ut verum sit Petrum esse *hunc*, 3) forma humana, ut verum sit Petrum esse hunc *hominem*, 4) habitus sapientiae in intellectu possibili receptus, ut verum sit Petrum esse *sapientem*, et 5) quoddam ens quod seu subsistens his omnibus compositum, ut habeatur *Petrus* cum his attributis.

Quaerimus ergo quid requiratur atque sufficiat ut verum sit tum Filium a Patre esse missum, tum Spiritum sanctum a Patre Filioque esse missum.

Cui quaestioni respondemus duplici asserto: primo, divinae personae missionem constitui per ipsam divinam originis relationem; deinde, quamvis eiusmodi missio per solam relationem originis constituatur, tamen terminum ad extra convenientem exigi. Quare, nihil aliud dicimus quam id quod iam ante diximus, tum generaliter in asserto XV de omnibus quae contingenter de divinis personis vere dicantur, tum in simili de iis quae contingentem operationem cognoscitivam, volitivam, vel productivam divinae personae qua divinae attribuunt, tum in particulari cum alibi de constitutione Christi ontologica egerimus<sup>11</sup>.

<sup>10</sup> *De Constitutione Christi*, pp. 27-ss., 53 ss.

<sup>11</sup> *Ibid.*, pp. 69-82.

De praesenti qualis sit terminus missionibus conveniens non determinatur sed quaestionibus subsequenter relinquitur.

#### *Sententiarum differentiae*

Circa ea quae contingenter de una alterave divina persona qua divina vere dicuntur, inter omnes de duobus constat, nempe, (1) nihil reale et intrinsecum addi divinae personae qua divinae propter tale verum, et (2) tale verum adaequationem cum re non habere sine termino ad extra convenienti. De primo constat, quia persona divina qua divina est immutabilis; de altero constat quia verum contingens sine re contingenti haberi non potest.

Atamen circa constitutionem horum verorum contingentium, in tres praecipue partes abeunt auctores.

Prima enim est classis eorum qui dicant tale verum contingens constitui, non per immutatam realitatem divinam, sed per terminum ad extra convenientem, videlicet, in quantum hic terminus speciali quodam modo respicit ipsam divinam personam de qua fit vera praedicatio contingens. Ita circa Incarnationem a sequacibus Scoti et Tiphani ponitur relatio specialis in natura assumpta ad solum Verbum assumens; et similiter circa increatum Spiritus sancti donum, a multis tenetur hoc donum qua datum constitui, eo quod in gratia sanctificante habetur relatio specialis ad donum divinum, quod quidem donum vel est ipse Spiritus sanctus vel per appropriationem Spiritus sanctus dicitur.

Aliis tamen videtur unumquodque per propriam suam realitatem constitui et ideo solam termini relationem non sufficere. Quare secunda classis eorum est qui dicant haec vera contingentia constitui per quamdam unionem infiniti et finiti; sicut enim ununtur materia et forma, vel essentia et esse, vel potentia et actus, ita etiam infinitum et finitum modo quodam eminentiori uniri docent. Ita circa Incarnationem sentiunt qui eminentem quamdam actuationem essentiae humanae assumptae per esse Verbi divinum astraunt; et similiter post Pelavium non pauci increatum Spiritus sancti donum qua datum quodammodo per modum cuiusdam formae nostrae sanctificationis vel saltem adoptionis concipere volunt<sup>12</sup>.

<sup>12</sup> Contra radicem huius sententiarum classis arguitur, *ibid.*, pp. 63 s.

Aliis denique videtur ideo finitum causis intrinsecis componi quia finitum est, ut nulla sit vera similitudo inter constitutionem infiniti et compositionem finiti. Et cum hi etiam teneant unumquodque per propriam realitatem constitui, ad infinitam divinam realitatem qua infinitam recurrunt.

Tertia ergo sententia, quam defendimus, inprimis distinguit inter id quod additur infinito, nempe, nihil, et id quod per infinitum constituitur, nempe, quod non finitur.

Deinde analogiam invenit, non in creati, sed in ipsis divinis. Sicut enim Deus contingentia esse scit per scientiam suam et non per terminum ad extra, qui tamen requiritur, sicut Deus contingentia esse vult per suam volitionem et non per terminum ad extra, qui tamen requiritur, sicut Deus contingentia esse facit per suam omnipotentiam et non per terminum ad extra, qui tamen requiritur, ita etiam Filius est omne quod est per proprium suum esse divinum et non per terminum ad extra, qui tamen omnino requiritur<sup>13</sup>, et Spiritus sanctus mittitur per id quod ipse Spiritus sanctus est et non per terminum ad extra, qui tamen omnino requiritur.

Secundum tertiam ergo sententiam de divinis personis qua divinis vere praedicantur tum communia et propria, tum necessaria et contingentia. Quae quidem omnia constituuntur per ipsam divinae personae realitatem, communia quidem per realitatem communem, propria autem per realitatem propriam, necessaria sine ulla conditione, contingentia denique cum conditione consequenti. Quod si nemo negare potest communia et contingentia constitui per divinam realitatem cum conditione consequenti (Deus enim contingentia esse scit per suam scientiam, etc.), vix assignari potest ratio cur propria et contingentia non pariter constituentur per ipsam divinae personae realitatem cum conditione consequenti.

Postquam tres hae sententiarum classes singillatim sunt consideratae, nonnihil claritatis additur si inter se comparantur.

Maxime ergo inter se differunt prima et tertia. In prima, enim, praesupponitur processio divina, sed missio formaliter in termino quodam ad extra invenitur. In tertia, autem, requiritur quidem terminus ad extra tamquam conditio consequens, sed ipsa divinae personae missio per divinam originis relatio-

<sup>13</sup> Cf. *ibid.*, pp. 71 ss.

Porro, quod divina persona mittit vel mittitur, contingenter verum est; liberrimo enim consilio divino omne illud est quod vel esse vel non esse potest; et absolute potuit non esse creatio, incarnatio, sanctificatio.

Ergo, quod divina persona mittit vel mittitur, adaequationem veritatis habere non potest per solam perfectionem divinam; et ideo terminum ad extra convenientem exigit.

*Praeterea*, exigitur hic terminus ut conditio consequens ipsam missionem. Nam persona mittens et etiam missa nullo modo a creatura dependet et ideo, quamvis terminus sit conditio, quia necessarius est, tamen conditio vel praevia vel simultanea esse non potest.

#### QUAESTIO XXVI

##### QUEMADMODUM TERMINUS AD EXTRA CONVENIENS MISSIONEM CONSTITUTAM CONSEQUATUR.

Ad intelligentiam praecedentis asserti notate quod Deus et est ens per intellectum et est agens per intellectum: est ens per intellectum, quatenus eius esse est eius intelligere et velle; est agens per intellectum, quia eius producere est iterum eius intelligere et velle. Quam ob causam, eo ipso quod Pater et Filius et Spiritus concipiunt et volunt divinam quamdam personam mitti, iam habentur et ipsa missio constituta et terminus ad extra convenientis productus. Habetur constitutio quia Deus est ens per intellectum et ideo, quod de se intelligit Deus, est Deus. Habetur productio quia Deus est agens per intellectum et ideo, quod extra se esse intelligit Deus, extra Deum est.

Quare si distinguuntur (1) constitutio active significata, (2) constitutio passive significata, (3) productio active significata, et (4) productio passive significata, tunc

(1) constitutio active significata est communis tribus personis, cum tres concipiunt et velint, tum Patrem mittere Filium, tum Patrem Filiumque mittere Spiritum sanctum;

(2) constitutio passive significata est propria mittenti et missae, cum tres concipiunt et velint, non tres mittere et tres mitti, sed Patrem mittere Filium, et Patrem Filiumque mittere Spiritum sanctum;

(3) productio active significata est communis tribus personis, cum tres concipiant et velint terminum ad extra convenientem produci, cumque ipsum concipere adiecta voluntate sit ipsum producere omnipotens;

(4) quamvis constitutio active significata et productio active significata sint tribus personis communes, tamen communes sunt tribus non confusis sed distinctis; quod enim Filius intelligit et vult se mitti a Patre, hoc a Patre habet sicut et a Patre habet suam substantiam; quod Spiritus sanctus intelligit et vult se mitti a Patre et Filio, hoc ipsum habet a Patre et Filio sicut et ab eis habet suam substantiam; et simile de productione active significata dicendum est;

(5) productio passive significata est ipse terminus ad extra conveniens, qua dependens a prima sua causa efficiente;

(6) personis divinis intrinsece immutabilibus nihil reale et intrinsecum additur sive per constitutionem active significatam, sive per constitutionem passive significatam, sive per productionem active significatam;

(7) et tamen per infinitum neque limitatam divinam perfectionem sive communem sive propriam prout res exigit, vere et realiter tres constituunt, vere et realiter mittentes et missae respective constituuntur, vere et realiter tres pariter personae terminos convenientes producunt;

(8) sicut enim divina immutabilitas realem et intrinsecam additionem facit impossibilem ita etiam divina infinitas eandem reddit superfluum.

Praeterea, incarnatio Filii et donatio Spiritus sancti, similes quidem sunt quantum ad modum constitutionis et productionis, sed differunt quantum ad id quod constituitur et producitur. Quantum ad modum similes sunt, quia in utraque habentur octo superius enumerata. Quantum vero ad id quod constituitur et producitur, in multis differunt omnino.

In incarnatione, enim, terminus ad extra materialis est natura humana non subsistens, cum unio sit in persona; sed in donatione terminus ad extra materialis est natura humana subsistens, cum unio gratiae sit inter personas. Quare, sicut haec natura subsistit per esse proprium et proportionatum, ita illa natura non subsistit quia esse proprio et proportionato caret.

Praeterea, in incarnatione per proprium esse divinum Filius est et Deus et homo; quod quidem verum contingens

mittitur, et quidem (6) secundum consilium vel imperium mittentis (7) personae missae revelatum atque confisum vel impositum.

Quaenam vero ex his septem elementis divinae missioni convenient, iam per singula discurrendo determinandum est.

*Primo, ergo, transitus de loco in locum magis limitationes corporis humani respicit quam missionis essentiam dicit. Quare, etiam in missione humana deesse potest hic transitus; v. e., si mittitur Nuntius a Sede Apostolica ad Gubernium Italicum, vera et realis est missio quamvis nulla sit loci mutatio. Quapropter, cum personae divinae non solum incorporeales sed etiam omnipresentes sint, transitus de loco in locum ad missionem divinam intelligendam vel parum vel potius nihil affert. Quamvis enim pium omnino atque nobis utilissimum sit, Filium vel Spiritum sanctum de caelesti altitudine descendentem imaginatione repraesentare, de praesente tamen quaeritur non missionis imaginatio sed intelligentia<sup>38</sup>.*

*Deinde, iam Filii quam Spiritus missio respicit non particularem quamdam operationem sed totam quamdam atque novam operationum seriem. Missus enim est Filius ad omnia instauranda<sup>39</sup> atque reconcilianda<sup>40</sup> ut Deus sit omnia in omnibus<sup>41</sup>. Mittitur autem Spiritus sanctus, non circa hanc illamve operationem particularem, sed ut toti vitae christianae in singulis iustis praesideat.*

*Tertio, aliter se habet Filius, aliter Spiritus sanctus ad operandum. Cum enim Filius naturam humanam sibi assumpserit, per hanc naturam assumptam opera sibi propria peragere potest. Qua de causa, cum Filius sit missus ut mediator et redemptor et reconciliator et ecclesiae caput et rex et iudex, ipsa incarnatio ad missionem Filii pertinere videtur, cum omnia haec munera opera Filio propria exigere videantur. E contra, cum Spiritus sanctus aliam naturam praeter divinam non habeat, ipse nihil operatur quod Pater et Filius non pariter operentur; ex quo concluditur non ideo mitti Spiritum sanctum ut ipse solus quidquam operetur.*

<sup>38</sup> *Sum. theol.*, I, q. 43, a. 1 ad 3m: «... obiectio illa procedit de missione quae fit secundum motum localem; quae non habet locum in divinis».

<sup>39</sup> Eph., I, 10.

<sup>40</sup> Col., I, 20.

<sup>41</sup> I Cor., I5, 28.

## QUAESTIO XXX

UTRUM CONVENIENTER DIVINAE PERSONAE MITTANTUR, ET FILIUS, QUIDEM VISIBILITER, INVISIBILITER AUTEM SPIRITUS SANC-TUS.

Respondeo convenientiam actionis aestimari secundum ordinationem ad finem, finem autem esse bonum, et ideo ex ratione boni ordiendum est, ut deinde finis missionum divinarum clarius cognoscatur et, tertio, aptitudo earundem in hunc finem, quodammodo intelligatur.

Bonum ergo dupliciter dicitur: primum enim est bonum per essentiam, quod est ipsa divina perfectio; et hoc bonum nisi analogice hac in vita non cognoscimus; alteram autem est bonum per participationem, quod etiam bifariam dividitur. Sicut enim supra habitum est<sup>62</sup>, in ipsa una divina perfectione duplex est perfectionis ratio, alia secundum actum, alia secundum ordinem; et similiter in rebus creatis una divina perfectio dupliciter participatur, uno modo secundum actum, alio modo secundum ordinem. Quare, distinguenda sunt bona particularia, quibus entia particularia secundum se perficiuntur; et bona ordinis, quae sunt totalitates quaedam concretæ, dynamicæ, ordinatæ tum appetibilium, tum appetentium, tum operationum et fruitionum. Ita, verbi causa, distinguuntur singula bona oeconomica alicuius regionis et, alia ex parte, ipse ordo oeconomicus totius regionis; quem quidem ordinem esse bonum quoddam maximum omnino patet, cum particularia bona oeconomica valde augeantur vel minuantur, prout ipsa tota oeconomia melius ordinetur vel in peius commutetur.

Proinde, ipsum bonum ordinis dividi convenit: aliud enim est bonum ordinis quod in inanimatis et plantis et animalibus cernitur; aliud autem est bonum ordinis humanum, quod ab intelligentibus et volentibus efficitur, puta, societates domesticas, technologicas, oeconomicas, politicas, culturales, scientificas, religiosas.

Porro, ad constituendum bonum ordinis humanum conspirant quinque: (1) multae personae, (2) habitus apprehen-

<sup>62</sup> Assertum XIV.



pria, tertium autem est speciale quoddam obiectum in quantum Deus quasdam creaturas diligit in ordine ad ipsum bonum infinitum iis communicandum<sup>23</sup>. Et secundum hanc tertiam atque specialem dilectionem divinam attenditur missio ipsius Spiritus sancti ad quam consequitur donum gratiae sanctificantis.

Uti enim supra habitum est, constitutio divinae missionis est per divinam conceptionem atque volitionem; et in quantum active significatur constitutio, tribus personis est communis; in quantum autem passive significatur, aliquibus est propria.

Quare, cum ipse Spiritus sanctus mittatur, secundum huius missionis constitutionem active significatam, habetur specialis divina dilectio tribus communis atque essentialis. Et cum haec dilectio sit in ordine ad ipsum bonum infinitum communicandum, existit tanquam divina sui donatio, secundum quam tres divinae personae se iusti dant<sup>24</sup>.

Si autem eadem constitutio passive significatur, Pater et Filius sunt diligentes et mittentes et dantes, ipse autem Spiritus sanctus est dilectio procedens et persona missa et donum datum. Et cum haec dilectio omnino specialis sit, per eam Pater et Filius Spiritu sancto iustos diligunt atque donant<sup>25</sup>.

Cum denique ad hanc specialem dilectionem tam essentialem quam notionalem necessario sequatur terminus ad extra conveniens, praeter gratiam, quae est ipse favor divinus erga aliquem, etiam est gratia gratum faciens<sup>26</sup>, quae est qualitas et accidens in anima iusti receptum<sup>27</sup>.

*Obicitur* tamen quod missio Spiritus sancti magis secundum operationem intellectus sit quam voluntatis. Ipse enim locutus est per prophetas [DB 86]; ipse pariter est Spiritus Patris qui in discipulis loquitur, cum ante reges et praesides trahantur [Mt., 10, 20]; ipse denique est qui docebit vos omnem veritatem [Io., 16, 13].

*Respondeo* eatenus in ratione missionis includi divinam originis relationem quatenus aliquid operatur, non a persona divina, sed circa personam divinam. Sicut ergo Pater creat quin tamen

<sup>23</sup> *Ibid.*, I-II, q. 110, n. 1.

<sup>24</sup> *Ibid.*, I, q. 43, n. 4 ad 1m; q. 38, n. 1 ad 1m.

<sup>25</sup> *Ibid.*, q. 37, n. 2; q. 38, n. 1 ad 4m; n. 2 ad 3m.

<sup>26</sup> *Ibid.*, I-II, q. 110, n. 1.

<sup>27</sup> *Ibid.*, n. 2.